16

DISSERTATIO INAVGVRALIS

DE

SORTIBVS POETICIS,

QVAM,

AVCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS,

SVB PRAESIDIO

MAGNIFICI ACADEMIAE RECTORIS,

CHRISTIANI GOTL. SCHVVARZII,

PHIL. MORALIS, ORATORIAE ET POESEOS PROF. PVBL.
ET BENEFICIARIORVM NORICORVM INSPECTORIS
BENE MERITISSIMI,

CONSEQVENDI SVMMI IN PHILOSOPHIA HONORIS
CAVSSA,

D. XXI IVNII, A. C. MDCCXII

PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTIT

GEORGIVS CHRISTOPHORVS EICHLERVS,
NORICVS.

ALTORFII NORICORVM,
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.



Q. D. B. V.

I.

Magna eſt hominum cupiditas praenoſcendi futura.

Ncredibile in animis hominum ineſt deſiderium praenoſcendi,et quovis modo exquirendi, aut mala impendentia, aut futuros eventus ſecundos. Omnes enim homines,quod recte animadvertit ſcripſitque Caſparus Peucerus, ***in commentario de praecipuis generibus divinationum,*** natura cupiunt, cum ſeſe ſalvos et incolumes eſſe, et in rebus conſtitui ſecundis, tum mala adverſaque et perturbationes animi quasvis abominantur. Idcirco ſoliciti de futuris, et ſperantes ac metuentes, et inquietis animis magis inhiantes futuris, quam tranquille fruentes praeſentibus, mirabilibus cogitationum motibus, ceu procellis maria, agitantur, et nihil non faciunt, credunt, ſuſcipiunt, quo et ex his ſeſe fluctibus expediant, et vel praeſentem ſtabiliant felicitatem, futuramve conſequantur, vel amoliantur onus praeſentium malorum, et contra adverſitates ſecuturas ſeſe obfirment ac praemuniant. Quid mirum igitur, innumera fere divinationum atque hariolationum genera ubique gentium invaluiſſe? Quae eſt gens, ait Cicero *L. 1. de Divinatione*, aut quae civitas, quae non aut extis pecudum, aut monſtra ac fulgura interpretantium, aut augurum, aut aſtrologorum, aut ſortium, aut ſomniorum, aut vaticinationum praedictione, moveatur?

II.

Ad divinandum etiam ſortes ſunt uſurpatae.

Non neceſſe eſt, ut varia divinationis genera hoc loco copioſius recenſeam; cum in hoc argumento plures ſcriptores iam verſati fuerint. Interim vel ipſe Ciceronis locus paullo ante laudatus teſtatum facit, SORTES quoque divinandi cauſſa fuiſſe adhibitas. Equidem ſortis nomen latius patet; cuius poteſtates omnes nihil attinet interpretari. Conſtat vero, imprimis

primis generatim quodvis oraculum, seu vaticinium, hac voce significatum fuisse. Sic Livius, *Decad.I. Lib.I*, locutus est: *Delphos ad maxime inclytum in terris oraculum mittere statuit; neque responsa sortium ulli alteri committere ausus.* Et Cicero, *Lib. II de divinatione, c. XXXIII*, oraculum intellexit, ubi dixit: *Sors illa edita est Croeso:*

Croesus Halyn penetrans magnam pervertet opum vim.

Nec male existimavit Demsterus, *oraculis* eam ob caussam maxime *sortium* nomen attribui coepisse, quia, uti res maxime dubiae ac controversae sorti soleant committi, ita responsa Deorum, Apollinis nominatim Delphici, maxime fuerint obscura et ambigua, quorum sensum per *sortes* venari fuerit necesse. Speciatim vero utplurimum *sortes* de eiusmodi vaticinio dicebantur, quae non nisi fortuito casu, nec aliquo consilio humano, ita eveniebant, uti Cicero *L. II. de Divin. c. XLI.* describit; *Quid sors est?* inquit, *Idem propemodum, quod micare, quod talos iacere, quod tesseras; quibus in rebus temeritas & casus, non ratio nec consilium valet.*

III.

Sortium tria genera recensentur.

Cum vero *sortium* quoque varia sint genera; Peucerus, l. c. tria potissimum genera constituit, dum alias sortes *divinas*, alias *politicas*, alias *divinatorias* esse, scripsit. Divinarum sortium appellatione singularia illa exempla complexus est, quorum mentio fit in divinioribus literis. Ad cuiusmodi *sortium* usum non nulli recte accommodant illud, quod Hieronymus, *in Comment. ad Ionam*, dixit: *Privilegia singulorum non facere posse legem communem.* Politicas sortes vocavit, quibus vel res certae, ut hereditates, legata, dona, et similia, distribuuntur iis, ad quos pertinent; vel ex aliquo numero idoneae personae desumuntur, quibus certae functiones commendentur. Ad quas sortes, si de rebus arbitrio nostro subditis legumque aucto-

auctoritate nixis, et consensu sortientium confirmatis, instituantur, ubi quidem humana industria divisionem istam sine discordia alio modo non possit consequi, referunt illud Salomonis, *Proverb. XVIII. 18. Contradictiones comprimit sors, et inter potentes quoque diiudicat.* Denique est sors divinatrix, qua homines impendentia fata prospicere, et negotiorum, tum suorum, cum aliorum exitus futurosque eventus, praenoscere volunt.

IV.

Equidem, me minus fugit, alios aliter ista sortium genera partiri atque definire consuevisse: sed ad institutum meum parum interest, talia hoc loco plenius a me excuti; cum saltem de *sortibus divinatricibus* non nihil dicturus sim; quae itidem non fuerunt unius eiusdemque generis. Sed tamen in his principem locum habuerunt κληρομαντεία & στιχομαντεία. Κληρομαντεία proprie illud divinationis genus dicebatur, quo per per tesseras, talosque iactos, divina oracula petebantur. Haec κληρομαντεία multis sane locis viguit, ubi per huiusmodi sortes reddebantur oracula. Huc pertinent sortes illæ ad Aponi fontem talis aureis trahi solitæ, teste Suetonio *in vita Tiberii, c. XIV.* Sortes Antiatinae; quarum idem Suetonius meminit, *in vita Caligulæ, c. 57.* Sortes Dodoneæ, de quibus scribit Cicero, *L. I. de divinatione.* Sortes Prænestinæ; quas idem Cicero commemorat, *L. II. de divinatione*, & Valerius Maximus, *L. I. c. 3.* Sortes Buraicae, de quibus Pausanias *L. VII. c. XXV.* haec refert. Ἡρακλῆς ἐ μέγας ἐςὶν ἐν σπηλαίῳ. ἐπίκλησις μὲν καὶ τούτῳ Βουραϊκός. Μαντείας δὲ ὑπὸ πίνακί τε καὶ ἀστραγάλοις ἐςὶ λαβεῖν. Εὔχεται μὲν γὰρ πρὸ τοῦ ἀγάλματος ὁ τῷ Θεῷ χρώμενος, ἐπὶ δὲ τῇ εὐχῇ λαβὼν ἀστραγάλους (οἱ δὲ ἄφθονοι παρὰ τῷ Ἡρακλεῖ κεῖνται) τέσσαρας ἀφίησιν ἐπὶ τῆς τραπέζης. ἐπὶ δὲ παντὶ ἀστραγάλῳ σχήματα γεγραμμένα ἐν πίνακι ἐπίτηδες ἐξήγησιν ἔχει τοῦ σχήματος. hoc est: *In spelunca (non procul a Bura) parvum est Herculis signum, cui Buraico cognomen est. Oraculi sortes capiuntur ex*

Ad Sortes divinatrices pertinet 1. κληρομαντεία.

tabula et talis. Deum vero consulturus ad signum precatur; votoq; nuncupato, sumit talos, quorum copia praesto est ad Herculis signum, mittitque quatuor super mensam. Omni vero talo inscriptae sunt certae notae; quarum interpretationem ex similitudine consueta habet in tabula. Si instituti ratio permitteret, possem non pauca etiam de ῥαβδομαντεία, seu de sortibus virgarum apud Scythas, Germanosque veteres, atque alios populos, quondam usitatis, commemorare.

V.

2. Στιχομαντεία. cuius nomina traduntur.

Sed converto me ad στιχομαντείαν, seu ῥαψωδομαντείαν, vel SORTES POETICAS: quando ex Poetis vaticinium sumebatur; dum scilicet veteres de futuro rerum eventu soliciti, evolverunt Poetas praestantissimos, ut ex occursu et primo intuitu sententiae versusque divinarent de re proposita, vel alio quoque modo, prout mox trademus, ex iisdem vaticinarentur. Hoc divinationis genus a quibusdam voce graeca dictum est στιχομαντεία; *divinatio ex versibus.* Et quamvis nulla vetusta succurrat auctoritas huius vocis a Peucero usurpatae: idonea tamen et conveniens haec vox est significandae rei, neque ab analogia Graecae linguae aliena. Deprehendo etiam nomen ῥαψωδομαντείας huiusmodi divinationi impositum. At certe, si, quod usu venire solet, ῥαψωδεῖν generatim dicitur *versus contexere*, seu *recitare versus*; hoc nomen aeque late patet, ac nomen στιχομαντείας. Sed cum constet, aliquando proprie non nisi Homeri poesin dictam esse ῥαψωδίαν; sic nomen inde compositum ῥαψωδομαντεία non nisi speciatim de divinatione ex Homerica poesi diceretur. Atque ita omnium frequentissime ab auctoritate poetarum, quorum versus consulebantur, hae divinationes nominatim appellabantur SORTES HOMERICAE, SORTES VIRGILIANAE, et sic porro. Ego generale nomen amplexus, SORTES POETICAS dixi, cum nec de Homericis, nec de Virgilianis solum sortibus, sed de reliquis etiam, quae ex aliis Poetis petitae sunt, scribere constituerim.

VI. Ista

VI.

Iſta vero divinatio ex Poetis non uno eodemque modo ſemper peracta eſt. Aliquando dicuntur ſumſiſſe alicuius praeſtantioris Poetae volumen, idque, prout viſum fuerat, temere aperuiſſe, ut, quicquid primum occureret oculis, pro ſorte, et oraculi loco haberent, vel etiam ex primo ſaltem paginae verſiculo de rebus propoſitis divinarent. Hunc modum plerique omnes recentiores ſcriptores tradunt, qui de hoc vetuſto ſortium genere mentionem faciunt. Ita Caſaubonus in notis ad Spartiani Adrianum Caeſarem ſcripſit: *Fuit et modus ῥαψῳδομαντείας, cum temere arrepto et aperto Poetae cuiusdam libro, ut quidque primum oculis ſe obiecerat, pro ſorte id et oraculi loco habebatur.* Ita Peucerus L. de divinatione, p. 231. *Sortes Virgilianae ſunt*, inquit, *cum, aperto libri codice, qui primi viſui occurriſſent verſus, in oraculi omen aſſumebantur. Meminit harum Ael. Spartianus in Adriani vita.* Imo, ut plurium teſtimonia taceam, Antonius etiam van Dale, qui in *Diſſertationibus de oraculis* hoc argumentum paſſim attigit, inter alia haec habet: *Divinatio per ſortes, quae per carmina ſive Sibyllarum, ſive aliorum Poetarum, dabantur, fiebat aut aliis artificiis, qualia fuere propoſita; aut per aperturam codicis huius illiusve vatis, ſeu Poetae, cuius verſus in hac re praeſtigiatores iſti ſibi maxime uſui fore exiſtimabant.* Communis haec omnium ſcriptorum fere eſt ſententia. Sed fateor, nullum adhuc teſtimonium huius rei ex vetuſto quodam auctore mihi occurriſſe, unde hic ipſe modus prorſus evidenter cognoſcatur. Equidem Peucerus provocat ad auctoritatem Aelii Spartiani: verum, hic quidem in vita Adriani. c. 3. meminit *ſortium Virgilianarum. Quo quidem tempore*, inquit, *quum ſolicitus de Imperatoris erga ſe iudicio Virgilianas ſortes conſuleret,*

Quis procul ille autem ramis inſignis olivae
Sacra ferens? Noſco crines incanaque menta
Regis Romani, primam qui legibus urbem

Fundavit,

Primus modus divinandi per ſortes poeticas.

Fundavit, Curibus parvis et paupere terra
Missus in imperium magnum, cui deinde subibit:

Sors excidit, quam alii ex Sibyllinis versibus ei provenisse dixerunt. At unde cognoscas, has ipsas sortes Virgilianas, tunc codice forte aperto repertas, et non alio modo proditas fuisse? Certe, dum Spartianus ait, sortem hanc *excidisse*; potius illa ad alium, eumque secundum, divinationis modum, quem mox describam; quam ad hunc, de quo iam dixi, est referenda. Casaubonus, Dalaeus, aliique, ut probent, sortes poeticas codicibus Poetarum temere apertis fuisse consultas, nituntur testimonio Augustini, Praesulis Hipponensis. Hic enim, L. IIII confessionum c. 3. *A quo ego cum quaesivissem*, ait, *qua ex causa hoc fieret, ut multa vera a Planetariis pronunciarentur; respondit ille, ut potuit, vim sortis hoc facere, in rerum natura usquequaque diffusam. Si enim* DE PAGINIS POETAE CVIVSPIAM *longe aliud canentis atque intendentis, cum sortem quis consuluit, mirabiliter consonus negotio saepe* VERSVS EXIRET; *mirandum non esse*, cetera. Sed non video, quomodo haec Augustini verba necessario de fortuita illa poeticorum scriptorum apertura et consultatione debeant intelligi, nec ad alium poeticae divinationis modum possint accommodari, maxime cum ille eo modo *versus exire* dicat. Nihilominus tamen perquam probabile est, ista ratione nonnunquam veteres de rerum suarum eventu augurari consuevisse, ita quidem, ut Poetas insigniores evolverint, et versiculos, qui primi occurrerunt, ad res, quas animo habebant, interpretandas, arripuerint. Etenim in *sortibus Sanctorum*, quae in locum sortium poeticarum successerunt, et de quibus infra dicturi sumus, hunc divinandi modum observatum fuisse, certissimum est.

VII.

Secundus modus divinandi per sortes poeticas.

Alium modum consulendarum sortium poeticarum observavit Casaubonus, ad Ael. Spartianum, in *vita Adriani Caesaris:*

ſaris: *Interdum*, inquit, *nobilis alicuius poetae ſelectos verſus in pittaciis deſcribebant; quibus in ſitulam coniectis, idem ordo ſervabatur, qui in aliis ſortitionibus, quibus urna interveniebat; de hoc genere proprie dicitur* SORS EXCIDIT, *vel* EXIIT, et, κλῆρος ἐξέπεσε. Imo de eodem genere videtur uſurpata loquendi formula, *ſortes tollere*; dum ſchedulae, aut folia, aut membranae, aut chartulae, eiusmodi verſibus poetarum inſignitae, atque in pulvinar Deorum, aut in urnam vel ſitulam coniectae, ſorte inde, aut a conſulente Deum, aut a Sacerdote, aut a puero, aliisve, tollebantur. Reſpexit forte ad hunc modum Auguſtinus, L. 83. quaeſt. 45. *Cum multa eos praedixiſſe dicatur; ideo fit, quia non tenent homines memoria falſitates erroresque: ſed non intenti, niſi in ea, quae illorum reſponſis provenerunt, obliviſcuntur; et ea commemorant, quae non arte illa, quae nulla eſt, ſed quadam obſcura rerum ſorte contingunt. Quod ſi peritiae illorum volunt tribuere, dicant, artificioſe divinare etiam mortuas* MEMBRANAS SCRIPTAS *quaslibet, de quibus plerumque pro voluntate* SORS EXIT. Fortaſſe hoc modo etiam Clodius Albinus ſortes conſuluit; de quo Iulius Capitolinus, c. V, ait: Quum ille SORTEM *de fato ſuo* TOLLERET, his VERSIBVS eidem dicitur eſſe reſponſum:

> *Hic rem Romanam magno turbante tumultu*
> *Siſtet eques: ſternet Poenos, Gallumque rebellem.*

VIII.

Tertius modus *ſortium poeticarum* hic annotatus eſt a Caſaubono: *Interdum verſus fatidicos in tabella deſcribebant, et, talorum arbitrante alea, divinationem peragebant. Hic eſt πίναξ ἀγυρτικός, ſeu ἀγυρτικὴ σανίς, cuius ſaepe in libris Graecorum fit mentio.* Imo tabellis, ſive libellis, inſcribebant collectos ex graviſſimis poetis verſus ad vaticinandum idoneos, ac, ſi quis flagitaret prognoſtica, inde vel ſorte, vel alia ratione, depromebant ſententias ad interrogata accommodatas. Hoc, (Tertius modus divinandi per ſortes poeticas.)

 prae-

praeter ceteros, cognoscimus ex Plutarcho, qui *in Libro de Pythiae oraculis* refert, maximam poesi infamiam paravisse circumforaneos et circulatores, et scurras, magnae Matris Deorum ac Serapidis vagos: horum alios ex tempore, alios SORTE QVADAM EX QVIBVSDAM LIBELLIS oracula dedisse servis et mulierculis, quas maxime numeri et nomina poetica moverent: istamque non minimam fuisse caussam, cur poetica, tanquam quae communem se videretur praebere impostoribus ac falsis vatibus, veritate et tripode arceretur.

IX.

Quartus modus divinandi per sortes poeticas.

Praeter hos tres modos sortium poeticarum consulendarum, quos observavit laudatus Casaubonus, deprehenditur quartus, quo non nunquam ex versu antiqui poetae, quem forte et ex improviso ab aliis pronunciari audierant, sortes omenque captarunt. Sic Socrates in carcere audiens recitari illum Achillis versum apud Homerum, Iliad. I. v. 363.

Ἤματί κεν τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην,

Aeschini se post triduum esse moriturum praedixit. Etiam Dio Cassius de Caracalla Caesare simile fere exemplum retulit, cuius verba latine reddita afferre liceat. *Cum non multo post occisus esset*, inquit, *atque hunc sermonem mecum habuisset postremum, illum vaticinatum esse quodammodo, ac futura praedixisse existimavi, non aliter quam Iovem, qui Belus cognominatus, coliturque Apameae civitate Syriae. Nam is Severo, cum adhuc privatam vitam ageret, hos versus* (ex Homeri Iliad. B, v. 478.) *dixerat:*

Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διῒ τερπικεραύνῳ
Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.

Os, oculosque Iovi similis, qui fulmina torquet,
Et Marti latus, et Neptuno pectora.

Eidem-

Eidemque postea Imperatori facto respondit consulenti:

Οἶκος δέ σοι πᾶς βήσεται δι' αἵματος,

Per sanguinem tibi universa ibit domus.

Imo etiam ex eiusmodi versu omen captasse videntur, qui ipsorum divinantium menti ac cogitationi velut ex improviso occurrit, multumve obversatus est. Nescio, an non huc referre liceat, quae commemorat Valerius Maximus, L. I. c. V. *Marci,* inquit, *Bruti dignus admisso parricidio eventus omine designatus est. Si quidem post illud nefarium opus, natalem suum celebrans, cum Graecum versum expromere vellet, ad illud potissimum Homericum* (Iliad. II, v. 849.) *referendum* ANIMO TETENDIT:

Ἀλλά με μοῖρ' ὀλοὴ Λητοῦς ἔκτανεν υἱός.

Sed me Parca ferox et Latonis filius occidit.

Qui Deus Philippensi acie, a Caesare et Antonio signo datus, in eum tela convertit. Quod pari ratione literis prodidit Plutarchus, in vita Bruti, asserens, Brutum, accepto poculo, ἀπ' οὐδεμιᾶς προφάσεως ἀναφωνῆσαι τὸν στίχον, temere alta voce hunc ipsum versum pronunciasse.

X.

Ad quintum modum sortium poeticarum refero ἀκροστιχίδας, h. e. cum ex primis versuum literis aliquid connectitur divinaturque. Etenim ἄκρον τοῦ στίχου notat τὴν ἀρχὴν τοῦ στίχου. Equidem aliquando hae *Acrostichides* non nisi vel lusus ingenii, vel memoriae caussa, adhibebantur, ut videmus in argumentis comoediarum Plauti: attamen eas etiam divinationibus inserviisse, docet Cicero *L. II de divinatione*. Hic enim, dum inter alia ostendit, carmina Sibyllina fuisse callida hominum impostorum inventa, et consulto latebra obscuritatis involuta, etiam ἀκροστιχίδ- Quintus modus divinandi per sortes poeticas.

χίδ@ meminit, quae in iisdem reperiebatur. *Non esse illud carmen furentis*, inquit, *cum ipsum poema declarat: est enim magis artis et diligentiae, quam incitationis et motus; tum vero ea, quae* ἀκροστιχὶς *dicitur, cum deinceps ex primis versus literis aliquid connectitur, ut in quibusdam Ennianis, quae Ennius fecit. Id certe magis est attenti animi, quam furentis. Atque in Sibyllinis ex primo versu cuiusque sententiae primis literis illius sententiae carmen omne pertexitur.* Earundem Acrostichidum Sibyllinarum meminit etiam Dionysius Halicarnasseus, *L. IV Romanarum Antiquitatum.* Vbi enim monstraverat, oracula Sibyllina, qualia tunc extabant, ex variis locis esse comportata atque conscripta, porro pergit: Ἐν οἷς εὑρίσκονταί τινες ἐμπεποιημένοι τοῖς Σιβυλλείοις, ἐλέγχονται δὲ ταῖς καλουμέναις ἀκροστιχίσι. h. e. *in his quaedam supposititia et carminibus Sibyllinis inserta reperiuntur, quae falsitatis convincuntur, ex iis, quae Acrostichides nuncupantur.* Quid sentiendum sit de Acrostichide illa, quam ex carminibus Sibyllinis de iudicio extremo attulit Eusebius, *L. V de vita Constantini*, et in qua ex primis versus cuiusque literis componuntur haec verba: ΙΗΣΟΥΣ ΧΡΙΣΤΟΥΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ ΣΩΤΗΡ ΣΤΑΥΡΟΣ, nihil attinet hoc loco exponere, cum eruditorum sententiae de huiusmodi reliquiis carminum Sibyllinorum haud aegre aliunde cognosci possint. Ceterum, quemadmodum iam constat, superstitiosos homines ex primis versuum literis in unam sententiam collectis, more *Cabbalistarum*, omina cepisse; an ita etiam, et eodem fine, ultimas versuum literas collegerint, difficile mihi probatu est, cum satis idoneum ex antiquitate testimonium mihi huc usque non occurrerit. Equidem ἀκροστιχίδι opponi solet vox alia graeca, ἀκροτελεύτιον. Verum cum haec non solum extremas, easque singulas versuum literas, sed etiam ipsos exitus, seu extrema verba versuum denotare possit; dubito, an satis commode huc accommodare queam oraculum illud, quod Thucydides, L. II, commemorat: Τὸ πελασγικὸν καλούμενον

τὸ

τὸ ὑπὸ τὴν ἀκρόπολιν ὃ καὶ ἐπάρατόν τι ἦν μὴ οἰκεῖν, καί τι Πυθικοῦ μαντείου ἀκροτελεύτιον τοιόν τι διεκώλυε λέγον, ὡς τὸ πελασγικὸν ἀργὸν ἄμεινον. h. e. *Pelasgicum etiam, uti vocant, quod sub arce sacrum, habitari fas non erat, Pythicoq; etiam oraculo vetabatur, in cuius oraculi* ἈΚΡΟΤΕΛΕΥΤΙΩ (extremo) *melius esse dicitur, Pelasgicum otiosum vacare; tamen, subita necessitate cogente, habitarunt.* Potest enim ἀκροτελεύτιον hoc loco etiam extremum ***hemistichium***, seu ultima verba alicuius versus, significare; cum illud et numeri rationes in hoc oraculo permittant.

XI.

Non possum prorsus praeterire modum illum plane singularem conficiendi pariter ac consulendi sortes, quem ex Ammiano Marcellino annotavit Cl. Dalaeus *in Dissertat. de origine oraculorum.* Haec enim tradit Marcellinus c. XXIX. *Prior Hilarius, construximus, inquit, magnifici Iudices, ad Cortinae similitudinem Delphicae, diris auspiciis, de laureis virgulis, infaustam hanc mensulam, quam videtis et imprecationibus carminum secretorum choragiisque multis ac diuturnis ritualiter consecratam movimus tandem. Movendi autem, quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis. Collocabatur in medio domus emaculatae adoribus Arabicis, undique lance rotunda, pure superposita, ex diversis metallicis materiis fabrefacta: cuius in ambitu rotunditatis extremo elementorum viginti quatuor scriptiles formae incisae perite, disiungebantur, spatiis examinatae dimensis. Has linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis soccis, torulo capite circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, litato conceptis carminibus numine praescitionum auctore, ceremoniali scientia superstitit, pensilem anulum librans, arctum ex Carpathio filo perquam levi, mysticis disciplinis initiatum: qui per intervalla distincta, retinentibus singulis literis, incidens saltuatim,* HEROOS EFFICIT VERSVS, *interrogationibus consonos, ad numeros et modos plene conclusos, quales*

Sextus modus divinandi per sortes poeticas.

 legun-

leguntur Pythici, vel ex oraculis editi Branchidarum. Ibi tum quaerentibus nobis, qui praesenti succedet imperio, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur; adsiliens anulus duas perstrinxerat syllabas, et cum adiectione literae postrema, exclamavit praesentium quidam, Theodorum praescribente fatali necessitate portendi. Nec ultra super negotio est exploratum; satis enim apud nos constabat, hunc esse, qui poscebatur. Cumque totius rei notitiam ita signate sub oculis iudicum subiecisset, adiecit benevole, id Theodorum penitus ignorare. Post haec interrogati, an ex fide SORTIVM, *quas agitabant, ea praescIverint, quae sustinerent;* VERSVS *illos notissimos ediderunt, clare pronunciantes, capitalem eis hanc operam scrutandi sublimiora cito futuram, nihilominus tamen ipsi quoque cum cognitoribus Principi caedes incendiaque flagitantes furias imminere; quorum tres ponere sufficit ultimos:*

'Ου μὲν αἰλιμητέν γε σὸν ἔσσεται αἷμα, καὶ αὐτοῖς
Τισιφόνη βαρύμηνις ἐφοπλάσσει κακὸν εἶτεν,
'Εν πεδίοισι Μίμαντος αἰλαὶ καιομένοις κάρ.

Ad quae adiiciantur, quae apud eundem Ammianum c. XXXI sequuntur.

XII.

Sextus modus divinandi per sortes poeticas.

Possem hoc loco etiam de ANAGRAMMATIBVS et ETEOSTICHIS agere, in quibus aliquando poetae quoque versantur, et unde superstitiosae mentes, nescio quid augurii interdum peti posse putant. Nihil nunc dicam de versibus et nominibus ἰσοψήφοις, de quibus videre licet Iac. Gronovium in notis suis ad A. Gellii Noctes Atticas, L. XIV. c. 6. Sed quod ad ἀναγραμματισμὸν attinet, quo aliae voces aliusque sensus ex traiectis literis eruuntur, et cuius artificium, si quod est, Guil. Blancus, *in L. de anagrammate*, et Edmundus Dickinsonus in *Delphis Phoenicizantibus*, non male a *Cabbala* Ebraeorum arcessiverunt; habemus quidem eius quaedam vetustiora vestigia.

veſtigia. Ita apud Graecos *anagrammatiſtes* memoratur poeta Lycophron, qui vixit tempore Ptolemaei Philadelphi; a quo Lycophrone nomen Graecum Πτολεμαῖος per anagramma commutatum dictumque eſt ἀπὸ μέλιτος, et Regina Ἀρσινόη eadem ratione dicta eſt ἴον ἥρας. Meminit et *Anagrammatiſmi* Euſtathius, Scholiaſtes Homeri, *ad Iliad. A. v. 55.* et aliquot exempla affert. Quodammodo huc etiam illa interpretatio eſt referenda, quam vates Alexandro, cui Tyrum obſidenti in ſomnio viſus fuerat *Satyrus*, dederunt. Conſulenti enim reſponderunt: ΣΑ γενήσεται ΤΥΡΟΣ, *Tua erit Tyrus.* Sed rariora illa ſunt exempla; nec per ſe ad poeſin adſtricta; fateorque, hucusque ex antiquis ſcriptoribus nullum mihi exemplum occurriſſe, ubi integros quosdam verſus alicuius veteris poetae ita transpoſuerint, ut exinde de certis rebus veluti vaticinarentur. Recentius autem aevum ad nauſeam usque, et ſaepe parum viriliter, in fingendis *anagrammatibus*, invertendisque verſibus, laſcivire viſum eſt, maxime poſtquam Io. Auratus, ſuperiore ſeculo, velut primus uſum *anagrammatum* ſuſcitavit. Atque idem fere etiam accidit *Eteoſtichis*, quae et χρονόστιχα et χρονόμετρα dicuntur; proptérea quod hoc cárminum genere per literas, numerorum poteſtate valentes, certus annus tempusque deſignatur. Non reprehendo tempeſtivum et rebus apprime convenientem ingeniorum luſum; ſed eius abuſionem, et quorundam ſuperſtitionem. Interim ſufficiat, in praeſenti vel duo exempla adduxiſſe, quemadmodum quidam miro caſu tum per *anagrammatiſmum*, cum per annorum literis deſignandorum artem, in veterum poetarum verſibus neſcio quid praedictionis ſibi inveniſſe viſi ſint. Etenim, referente V. CL. Ioh. Alb. Fabricio, *in Biblioth. Graec. L. II c. 6*, Petro Loyerio Andegavenſi, Libro de Coloniis Idumaeorum, contigit, in uno Homeri verſu, praedictum reperire praenomen et cognomen ſuum, patriamque, et annum,

annum, quo haec esset inventurus. Versus enim Homeri extat Odyss. λ. v. 183.

Σὸν δ' ὄπω τις ἔχει καλὸν γέρας, ἀλλὰ ἕκηλος.

Hinc per anagramma conficitur:

Πέτρος Λωΐζιος Ἀνδέικαος Γάλλος Ὑλιέη.

Restant literae α, χ, κ, quae indicant annum 1620. Sic etiam non nemo Ovidianum versum, invento anni indice, mirifice accommodavit ad Carolum, Hispaniarum Principem, qui Philippi II, Parentis rivalis, amores vetitos morte sua eluit, cum parricidii attentati insimularetur:

FILIVS ante DIEM patrIos InqVIrIt In annos.

Cuius generis exempla plura iam congerere, vix operae pretium puto.

XIII.

A quibus tractatae sint hae sortes?

Non est dubium, quin varios ritus superstitiosos, ut in aliis, ita etiam in his sortibus, adhibuerint vani homines, ut conciliarent sibi numina fatidica; id quod etiam ex iis, quae n. IV et XI adduxi, coniici potest. Praetereo tamen istam vanitatem, et iam solum modo de iis dicam, qui has sortes moderari consueverunt. Quemadmodum vero alias, pro sortium, quae tractabantur, aut rei, de qua agebatur, dignitate, requisita etiam fuerit dignitas atque auctoritas hominum, qui sortes has scriberent, miscerent, traherentque; exposuit Martinus Mauritius, *c. VII de sortitione veterum, inprimis Ebraeorum.* Quod vero speciatim attinet ad sortes poeticas, easque publice et in loco sacro consultas; ad has ipsas moderandas tanto magis adhibebantur sacerdotes; quanto persuasiores erant miseri homines, hos esse veluti Dei plenos, et in sortitionibus praestare operam plusquam humanam. Quamquam et in Iovis PVERI honorem

norem ſortes manu puerorum miſtas ductasque eſſe legamus. Sed ſaepe etiam aliquis ſolus fortunam ſuam exploraturus privatim conſulebat huiusmodi ſortes. Saepe adibat ſortilegos, vel eiusmodi homines, qui circuibant per vicos et oppida, et, quemadmodum ſupra, *n. VIII*, ex Plutarcho declaravi, ſorte quadam ex quibusdam libellis, quibus poetarum verſus ad vaticinia reddenda idoneos inſcripſerant, ſervis mulierculisque oracula pronunciabant. Talem hominem fuiſſe Onomacritum, Athenienſem, commemorat Herodotus, *in Polymnia*, qui eum non ſolum vocat χρησμολόγον καὶ διαθέτην χρησμῶν τῶν Μουσαίου, h. e. SORTILEGVM, et SORTIVM MVSAEI MODERATOREM *atque explanatorem*; ſed etiam refert, hunc inter Muſaei ſortes alienam inſeruiſſe, atque, ſi quae *ſortes* cladem barbaro nunciarint, earum nullam *recitaſſe*.

XIV.

Poetae ad divinandum adhibiti; quorum aliqui ex instituto χρησμοὺς ſcripſere.

Sed nunc porro diſpiciendum eſt, quaenam potiſſimum carmina tantae auctoritatis habita fuerint, ut ad iſtiusmodi divinationes, de quibus loquimur, adhiberentur? Vbi quidem deprehendo, quo vetuſtiora et excellentiora fuerint carmina; hoc maiorem eis vim attributam videri. Interim tamen et illud ſimul obſervo, alios poetas ex inſtituto ſcripſiſſe χρησμοὺς, ſeu vaticinia; alios nihil minus, quam vaticinia cogitantes, longe alia ceciniſſe, haud minus tamen ſuperſtitioſorum hominum divinationi inſerviiſſe. Inter illius generis poetas, exempli cauſſa, refertur EPIMENIDES, qui librum περὶ χρησμῶν ſcripſiſſe dicitur; ex quo etiam, ſi fides habenda Hieronymo, aliisque, verſus Epimenidis a Divo Paullo allegatus habetur. Quid de EVCLOO, LYCO, BACIDE, OLENE, HYSTASPE, MVSAEO, ORPHEO, aliisque, dicam, qui inter χρησμολόγους referuntur, et quorum varia oracula apud Graecos Homero antiquiora iactantur? Etiam inter Scythas extitit ABARIS, qui, referentibus Suida et Apollonio, χρησμοὺς, ſeu oracula Scythica, carminibus conſignata, prodidiſſe perhibetur. Nec foe-

minae poetriae defuerunt, quae carmina effunderent fatidica. Ita, praeter Sibyllas, de quibus mox dicam, fuit quaedam DAPHNE, quae, auctore Diodoro Siculo, *Biblioth. L. IV*, mira indole fuisse, variisque oraculis singulari artificio conscribendis operam dedisse dicitur; a qua non pauca mutuatus carmina Homerus ad poeseos suae ornamentum transtulerit; et quae Sibyllae cognomentum acceperit, propterea quod saepius, divino correpta afflatu, fuderit sortes. Praetereo PHEMONOEN, XENOLEAM, PHAENAIDEM, et ceteras, quibus passim apud Scriptores veteres χρησμῳδίαι tribuuntur. Videatur Bulengerus *L. de sortibus*; itemque Caleagninus, Triglandius, Clasenius, Boissardus, aliique, qui de oraculis et divinatione scripserunt. Extant quoque vetusta quaedam poetarum oracula, quae non solum Iohannes Osopoeus collegit, et ad calcem Sibyllinorum adiecit; sed eadem etiam Servatius Gallaeus repetiit, illustravitque. De ipsis vero SIBYLLIS ut hoc loco multa dicere aggrediar, nec tempus, nec instituti ratio permittit. Remitto potius lectorem ad V. CL. Io. Alberti Fabricii Bibliothecam Graecam, *L. I c. XXIX, et sequentibus;* qui incredibili industria et insigni eruditione instructus praestantissimos quosque harum rerum scriptores suppeditavit. Illud saltem non possum non monere, duplicis potissimum generis extitisse carmina Sibyllina. Alia iam inde usque ab antiquissimis temporibus Romae, tanquam propria et domestica oracula, auctoritate publica, magnaque religione, asservabantur, neque, nisi urgente metu publicae calamitatis, adibantur, nec sine ceremoniis sacrificiisque consulebantur. Alia erant carmina Sibyllina, sub celebri Sibyllarum nomine vulgata, confictaque; quae et privati possidebant, et quibus sortilegi circumforaneique inprimis utebantur. De quibus omnibus adire licet laudatum Fabricium, *Biblioth. Graecae, L. I, c. XXXI, n. 3. 4. 5. 12* Huiusmodi ergo poetarum atque poetriarum oracula, carminibus conscripta, habebant quidem et in locis publicis, iisque sacris, ut

inde

inde quaererent, si qua ad praesentes personas atque tempora accommodari possent. Sic Scholiastes Euripidis, *ad v. 1267 Hecubae,* de Orphei oraculis ait: *Περὶ τὸν Αἷμον, οὗ εἰσὶν καὶ Ὀρφέως ἐν σανίσιν ἀναγεγραφαί.* Sed et privatim, iis modis, quos ante innuimus, eadem carmina consuluerunt. Certe, cum Spartianus, loco supra citato, commemorasset, Adrianum Caesarem consuluisse sortes Virgilianas, easdemque recensuisset; addidit, dixisse alios, similem *sortem* ei ex *Sibyllinis versibus provenisse.* Ita scilicet Adrianus non solum Virgilium, sed etiam oraculorum Sibyllinorum librum, consuluerat. Et notarunt viri eruditi istos versus, qui de Adriano etiamnum hodie in Sibyllinis, L. V, leguntur.

XV.

Sed etiam ex iis poetis sortes petierunt homines superstitiosi, quos dixeris nihil minus intendisse, quam voluisse vaticinari. Primo loco nomino Homerum, quo inter scriptores Graecos nullum antiquius ad nos pervenit monimentum. Hic, quemadmodum fons et origo omnis melioris doctrinae habebatur; ita multis etiam prae ceteris futurorum conscius videbatur. Cumque Aristoteles, teste Plutarcho *in L. de Pythiae oraculis,* dixerit, solum Homerum facere *moventia nomina,* ob efficaciam: quid mirum est, multis iam olim Homeri versus pro *sortibus* atque *oraculis* fuisse? Scripsit Matthias Berneggerus, *in Observationibus Historico-Politicis, n. XXVIII,* HOMERICAS SORTES olim omnino in magno pretio fuisse; sed praeter tria earum exempla memoriae sese non offerre. Primum exemplum est Socratis, qui cum forte in carcere *v. CCCLXIII Libr. IX Iliadis Homeri,* recitari audiisset, sibi post triduum mortem inde praedixit. Cuius rei iam supra meminimus, *n. IX.* Alterum exemplum est Bruti, qui de Pharsalici proelii successu solicitus, in *v. DCCCCXXXXIX, Lib. XVI, Iliad. Homeri* incidit; quem itidem *n IX* attulimus. Tertium exemplum est Macrini Opilii, cui scire cupienti: num imperium

Aliqui poetae ad divinandum adhibiti sunt, qui per se nulla oracula scripserunt.

Exempla sortium Homericarum.

rium adepturus sit, sequentes Homeri versus (*ex Iliad. θ. v. CII et CIII,*) obtigerunt:

> Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταὶ,
> Σὺ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ὀπάζει.

> *O Senex, certe valde iam te premunt iuvenes bellatores;*
> *Tua autem vis soluta est; gravis autem senectus te insequitur.*

Hoc Dio Cassius refert de Macrino, eique quondam oraculum consulenti mortem his ipsis versibus praedictam fuisse, ait: sed Sozomenus idem responsum ab Apolline Didymaeo redditum Licinio fuisse testatur. Καὶ Ἕλληνές φασιν, inquit, αὐτὸν τότε ἀποπειραθῆναι τοῦ ἐν Μιλήτῳ μαντείου τοῦ Διδυμαίου Ἀπόλλωνος, ἐρομένῳ δὲ αὐτῷ περὶ πολέμου, χρῆσαι τὸ δαιμόνιον τουτουσὶ τοὺς Ὁμηρικοὺς στίχους·

> Ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί,
> Σὴ δὲ βίη λέλυται, χαλεπὸν δέ σε γῆρας ἱκάνει.

H. e. *Ipsi Graeci* (pagani) *dicunt, eum* (Licinium) *tunc expertum oraculum illud Apollinis Didymaei in Mileto, atque ipsi interroganti de bello, respondisse Daemonem, hisce versibus Homericis.* Cuiusmodi exempla, ubi oracula per versus praestantissimorum poetarum responderunt, haud aegre plura proferre possem, nisi fere nunc aliud mihi agendum viderem. Interim ad *sortes Homericas* illud quoque exemplum Caracallae referendum est, quod supra *n. IX*, e Dione Cassio in medium attuli. Ceterum ridiculum, imo improbum est, quod, memorante Cl. Fabricio, *in Bibl. Gr. L. II, c. 6*, Iacobus Hugo, Belga Insulensis, de Homero affirmare sibi non religioni duxit. Ille enim, in Historia Romana, seu origine Latii, sive Italiae ac Romanae urbis, (quem librum evulgavit Romae A. MDCLV,) contendit, Homerum divino instinctu sub historia Troiana Hierosolymae excidium; sub fabulis Graecorum in Iliade, Ser-

vatoris

vatoris nostri vitam, miracula, passionem, et fata Ecclesiae sub Imperatoribus praedixisse: Harpyiarum nomine perstrinxisse Hollandos; nomine Evenidis, Genevensem Calvinum; Antinoi et Ladis, Lutherum; et Lotophagorum, Lutheranos. Quam ludricam eius delirationem, edita Ienae exercitatione, confutasse dicitur Ebertus Rudolphus Rothius.

XVI.

A sortibus Homericis progredior ad SORTES VIRGILIANAS. Quemadmodum enim apud Graecos princeps et pater poetarum fuit Homerus; ita inter Latinos poetas primae partes merito debentur Virgilio. Nihil iam dicam de iis, qui cum Renato Rapino Virgilium cum Homero contenderunt. Certe tantam eius carmina admirationem nonnullis concitarunt, ut ex iis, velut ex oraculis, in rebus gravissimi momenti, sortes legere haud dubitaverint. Cuius rei iam quaedam exempla dudum collegit Matthias Berneggerus, *in Observatione XXVIII. historico-politica*; quae hoc loco repetere haud pigebit. Sic enim Alexander Severus, cum Parentis hortatu animum a philosophia et musica ad alias artes traduceret, auctore Ael. Lampridio, *c. 14*, huiusmodi *sortibus Virgilii* (*ex L. VI Aeneid. v. 847, sequ.*) illustratus est:

Exempla Sortium Virgilianarum.

Excudent alii spirantia mollius aera,
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus;
Orabunt caussas melius, coelique meatus
Describent radio, et surgentia sidera ducent:
Tu regere imperio populos, Romane, memento.
Hae tibi erunt artes, pacique imponere morem;
Parcere subiectis, et debellare superbos.

Quibus versibus Alexandro Severo praedictum credebant imperium, quod ille aliquot post annos suscepit. Huic ipsi Imperatori cum Heliogabalus insidiaretur, SORS in templo Fortunae Praenestinae talis extitit: (*ex Aeneid. VI, v. 882*)

- - *Si qua fata aspera rumpas,*
Tu Marcellus eris.

Claudius Gothicus cum de se consuleret, auctore Trebell. Pollione, *c. X*, huiusmodi responsum *(ex Virgilii Aeneid. L. I, v. 265)* accepit:

Tertia dum Latio regnantem viderit aestas.

Nec ultra triennium imperavit. Idem cum de posteris suis consuleret, in hanc sortem incidit, *(Aeneid. I, 278)*

His ego nec metas rerum, nec tempora pono.

Cum quaereret de fratre Quintillo, quem consortem habere volebat imperii, responsum est: *(Aeneid. VI, 869)*

Ostendent terris hunc tantum fata.

Qui et paucis diebus, post susceptum imperium, interfectus est. Quid Adriano, de Traiani Imperatoris erga se benevolentia dubitanti, sortes Virgilianae, *(ex Aeneid. VI, 809, sequ.)* responderint; supra, *n. VI*, ex Ael. Spartiano exposui. Haec sunt illa exempla *sortium Virgilianarum*, quae passim hinc inde afferuntur. At, quis dubitet, adhuc alia posse congeri, si quis operam huic rei impendere velit? Non repetam nunc sortes Virgilianas Clodio Albino, *ex Aeneid. VI, 858*, redditas, et a me supra, *n. VII*, propositas. Auctores Observationum Hallensium, *T. IV, observ. XIII*, memorant, Stephanum Pascasium testari, antiquos quoque Gallos imitatos fuisse sortes Virgilianas; eundemque profiteri, se et laborum uxoris parturientis finem, et recens nati vitam atque fortunam, eo modo inquisivisse, licet ipse tali divinationi nullam tribuat fidem. Sunt et alii inter Christianos, qui non erubuerunt tentare sortes Virgilianas. Sic Beyerlinck, *in theatro vitae humanae*, recens exemplum amici sui commemorat, qui animi caussa, puerulo nato,

sortes

sortes Virgilianas consuluerit, inque versum modo laudatum, (*ex Aeneid. VI, 869,*) inciderit:

> *Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra*
> *Esse sinent.*

Quibus sortibus eventum ita respondisse ait, ut, quinto post mense, infans una cum matre lethali spasmo correptus obierit. CL. Fabricius, *in Bibl. Lat. L. I. c. 12,* scribit, huiusmodi recentia Christianorum hominum exempla recenseri *in Memoriis Iacobi VVelvvoodi;* quas evolvere mihi non licuit. Vnicum exemplum Caroli I, Stuarti, his subnectere libet. Ille enim, conspecto elegantissimo Virgilii codice, in bibliotheca Bodleiana, suasore Falcklandio, *sortium Virgilianarum* periculum facturus, incidit in v. 615. *et sequ. L. IV Aeneid.*

> *At bello audacis populi vexatus et armis,*
> *Finibus extorris, complexu avulsus Iuli,*
> *Auxilium imploret, videatque indigna suorum*
> *Funera; nec, cum se sub leges pacis iniquae*
> *Tradiderit, regno aut optata luce fruatur;*
> *Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arena.*

XVII.

Quinam vero Poetae, praeter hos, quos hactenus recensui, digni habiti sint, quorum carmina, quantumvis alio consilio conscripta, sortium tamen oraculorumque vicem subierint; difficulter definiri potest. Interim, quemadmodum alioqui non omnia oracula heroicis versibus, sed aliquando etiam Iambicis, aut etiam oratione prosa, proponebantur; ita intelligimus, nec solos *Epicos poetas*, sed etiam alios, sortibus poeticis consulendis inserviisse. Cuius rei documentum quoddam iam supra, *n. IX, p. 11,* e Dione Cassio produxi; quanquam fateor, illum versum:

An dentur etiam aliorum poetarum sortes?

> Οἶκος δέ σοι πᾶς βήσεται δι' αἵματος,

una

una cum proxime antecedente oraculo, per quandam ἀβλεψίας non suo loco collocatum, nec ad debitum divinandi modum ibi relatum esse. Interim patet, illud ipsum responsum ex poeta quodam Tragico provenisse; et vix dubito, quin ad *sortes Euripideas* pertineat: adeoque persuasus sum, ad divinatrices sortes potissimum *Epicorum* atque *Tragicorum* poetarum carmina vocata fuisse.

XVIII.

De corruptoribus sortium poeticarum

Sed fortasse haud inconveniens fuerit, hoc loco etiam de *corruptoribus sortium poeticarum* non nihil dicere. Etenim, quemadmodum alias veterum oracula fraude doloque conficiebantur; ita speciatim etiam in sortibus poeticis non omnia sincere peracta fuisse deprehendimus. Quantae fraudis iam olim suspecta fuerint carmina Sibyllina, quae etiam *sortibus* destinari solebant; facile aliunde constat. Apud Tacitum legimus, *L. VI Annalium*, multa vana carmina sub nomine celebri Sibyllarum vulgata fuisse. Scilicet, cum carmina illa Sibyllina, quae a Senatu Romano religiosissime custodiebantur, nec, praeter viros publice constitutos, cuiuspiam privati hominis usibus permittebantur, incredibili apud populum essent auctoritate: hinc sortilegi illi carmina conficta ac varias sortes colligebant, et, quod Plutarchus, *in vita Ciceronis*, exemplo Lentuli docet, nihilominus QVASI EX LIBRIS SIBYLLINIS credulis hominibus vaticinabantur. Ita Lucianus, *de vita Peregrini*, annotavit, versus quosdam Sibyllinos a Theagene, Cynico, confictos esse, huncque pro singulis huiusmodi commentitiis sortibus drachmam et duos obolos captasse. Imo, quamvis illi haberent ipsa poetarum carmina fatidica; iis tamen vel versus alienos et ad suum institutum accommodatos immiscebant; vel etiam, si per sortem prodirent versus, qui ad rem praesentem minus facere viderentur, eos subdole supprimebant, reticebantque. Tam callidus sortium corruptor Oenomacritus, Atheniensis, fuisse dicitur; qui non tantum, teste Suida,

Suida, Orpheo oracula fuppofuit; fed etiam, prout fupra ex Herodoto oftendi, Mufaei fortes corrupit; dum illis hanc etiam *inferuit*, fore, ut infulae Lemno adiacentes mari fubmergerentur; et, fi quae fortes Xerxi, ad quem Athenis eiectus confugerat, cladem minitarentur, earum *nullam recitavit; contra vero fauftiffimas quasque exprompfit.*

XIX.

Si nunc in cauffas et originem harum fortium poeticarum inquiramus, fcifcitemurque, unde tanta divinandi auctoritas carminibus poetarum attributa fuerit; ea huc accommodare poffumus, quae Cicero, *L. II de Divinatione*, generatim de SORTIBVS DIVINATRICIBVS pronunciavit: *Tota ta fcilicet res inventa eft fallaciis, aut ad quaeftum, aut ad fuperftitionem atque errorem.* Equidem, ab antiquiffimis temporibus, quaecunque fapientiae et religionis capita edebantur, metris comprehenfa fuiffe videntur. Saltem apud Graecos poemata prius edita, quam συγγραφὰς, five *fcripta profaica*, fuiffe, innuit Strabo, *L. I.* Et Plutarchus, *in Libro de Pythiae oraculis, p. 406*, teftatur, fuiffe tempus, cum homines metris, carminibus, cantilenis ufi fint; et omnem hiftoriam, omnem philofophiam, omnes denique eventus, et res graviorem requirentes orationem, ad poeticam et muficam applicuerint; quin et laudes deorum, vota, paeanes, verfibus incluferint: alii ob vim ingenii; alii propter confuetudinem. Si ergo tunc nihil non, quod alicuius momenti effet, verfibus proderetur; quid mirum, oracula etiam ad carminis leges compofita fuiffe? Maxime, cum faepius homines nonnulli, illud, quod infolens eft, et obfcuritate atque circuitionibus obductum, fub opinione divinitatis alicuius pavidi venerentur. Ita idem Plutarchus ratiocinatus porro fcripfit, Deum etiam vaticinationi non invidiffe elegantiam et ornatum, neque Mufas in honore alibi habitas hinc a fuo tripode abegiffe; fed adduxiffe potius, amplexum poeticas indoles, excitata alacri mirabilique

Quae cauffa et origo fit fortium poeticarum?

rabilique facundia. Accedit huc, quod, ipso Plutarcho fatente, istis hominibus ad prodenda vaticinia saepissime opus fuerit ambiguitate, circuitione, et obscuritate quadam; imprimis si civitates Principesque potentes de rebus futuris sciscitarentur. Iam vero, quid propter translationes frequentes atque ambiguitates, aptius est, quam poesis, ad miscendam dictis umbram, ad fingendos varios orationis sensus, ad inducendos quasi divinationis quosdam fucos, et ad effugium parandum, quibus tuerentur se vates, si quid secus evenisset? Equidem erant aliquando vani isti vates, adeo rudes et ad versus satis bonos componendos inepti, ut saepius contra metri leges versus facerent, et vocabulorum pravitate peccarent; quo ipso sagacioribus, et nominatim Epicureis, Cynicis, Aristotelicis, aliisque, frequentem exagitandorum vaticiniorum occasionem praebuerunt. Neque minus in suspicionem fraudis, aut amissae pristinae facultatis, multis venerunt oracula, cum Apollo desiisset versus facere; quod iam Pyrrhi temporibus accidisse scripsit Cicero. Qua re adductus Plutarchus peculiari commentario exposuit, *cur Pythia non amplius reddat oracula carmine?* Et quanquam haberent etiam poetas, qui, memorante Plutarcho, apud oracula desidebant, ut responsa, prosa oratione reddita, in numeros redigerent, et eis versus, tanquam vasa quaedam, circumplicarent: attamen, cum nec hi semper satis idonei haberi possent, atque ne, aut omissis versibus incurrerent in notam perditae pristinae divinitatis, aut, prolatis vitiosis versibus, se exponerent aliorum contemtui atque ludibrio; hinc carmina praestantissimorum Poetarum velut in subsidium vocarunt, collectis inde versibus, quibus pro re nata, loco oraculorum, uterentur, et vel secundum, vel adversum rerum eventum quaerentibus indicarent. Atque ex hac ipsa re SORTES POETICAS enatas esse censeo. Etenim, cum viderent homines, in templis ipsis responderi versibus Homeri, aliorumque praestantiorum poetarum; facile usu

le usu venit, ut ipsi excogitarent varios modos etiam privatim divinandi ex poetis: tanroque proniori superstitione amplectebantur auctoritatem insignium poerarum; quanto hi maiorem speciem divinae cuiusdam facultatis prae se ferebant; utpote qui sibi ipsi nomen vatum tribuerent, et quasi a Deo agitati, et a Musis instructi, ea, quae canebant, expromerent, nec dubitarent haec de se iactare:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo.

Quid ni ergo et *Agyrtas* illos atque sortilegos, de quibus iam diximus, quaestus caussa, e carminibus poetarum excellentissimorum credulo popello vaticinia protulisse existimemus? Imo, pro illo furororum eventuum praenoscendorum desiderio, quo tot homines tenentur, ipsi quoque Christiani, sive serio, sive per lusum, harum sortium poeticarum periculum aliquando fecerunt; haud secus, ac alia superstitionis paganae genera retinere et imitari aliquando deprehenduntur.

XX.

Quae cum ita sint, haud difficulter intelligitur, ***quaenam divinandi virtus insit in his sortibus poeticis?*** Equidem, quod ad illos vates attinet, qui ex instituto vaticinia iactarunt, et quorum vaticinia quaedam evenisse perhibentur; res difficilis fere est, et infinitae disputationis, tum eorum, qui aliquam divinandi facultatem nonnullis vindicare conantur; cum illorum, qui eam omnem omnibus prorsus hominibus denegatum eunt. In veterum pariter atque recentium vatum divinationibus incredibile quidem est, quantum vanitatis, fraudis, fallaciarum atque praestigiarum occurrat: interim, quis omnium omnino hominum mentes, earumque vires et facultates, satis perspexit, ut, quantum quaevis mens valeat, accurate definire possit; qui ne nostrae quidem mentis, ac ne corporis quidem, vim prorsus cognitam habemus? Quis cognovit omnia, et ea singularia, divini Numinis consilia atque destinata; quod et inter ipsos ho-

An vis divinandi insit in carminibus poetarum?

 mines

mines a vera religione alienos maiestatem suam variis modis testatam fecit? Sed sciens prudensque in praesenti ab hoc argumento recedo; nec minus tamen illud aperte confidenterque affirmo, non nisi vanam inanemque esse illam ex poetarum carminibus divinandi rationem. Vnde enim illa vis incesserit scripta poetarum, ut mihi huius illiusve rei exitum significent; quae longe alio animo atque consilio consignata sunt? Et sane experientia evidenter docet, infinita sortium poeticarum experimenta irrito conatu facta esse, et vel falso, vel prorsus nullo apto sensu, evenisse. Adhaec, quam saepe flexiloquae et obscurae sortes emergunt, quae, propter figuras et dictionem poetarum, ad plures et diversas res possunt accommodari? Qualis vero illa est divinatio, quae propter ambiguitatem ad novas sortes referenda? Denique, quamvis non nullae sortes evenerint, aut adhuc forte eveniant, quae respondeant factis rebusque, et quae diversae fortunae exitum ante significent; (at quam paucae sunt, quae ex tot saeculorum memoria afferuntur?) Quid tum vero? An non putemus, inter tot tentamenta, casu quasdam sortes ratas fieri posse? An non credamus, ipsum casum aliquando imitari veritatem? Licebit, opinor, hanc in rem afferre luculentum Eusebii locum, Latine redditum, quem iam Antonius van Dale annotavit, ut generatim oraculorum vanitatem monstraret. *Quotcunque responsa*, inquit, *ambiguitate obtecta ipsis exciderint, ea non ex praescientia futuri, sed ex coniectura prolata, eorum millena, imo fere omnia, saepe aliter, quam praedictum fuerat, cecidisse deprehendantur; dum rerum exitus contra oraculorum promissa terminetur. Nisi quod sic aliquando, ac raro quidem, unum ex millenis, casu quoque aut bona fortuna contingens, aut secundum ex coniecturis exspectatum eventum, faciat, ut oraculum vera praedixisse putetur. Quod tum magnopere ab iis, quibus talia contigere, in cippos et columnas incidi (in libros et rerum monimenta referri) videas; qui cum (si quando res ita tulerit) quod tam multi expectatione sua decepti fuerint,*

fuerint, verbum plane nullum fieri velint; tum vero, quod uni ex infinitis alicui, prout ab oraculo responsum fuerat, acciderit, id nullo non loco circumferant. Qua in re perinde se gerant, ac si quis, cum ex infinita hominum micantium, aliove sortis genere utentium multitudine, duo aliqui vel semel tantum in eadem casu incurrerent, factum miraretur; quasi divinatione quadam sortisque futurae scientia, unus atque idem utrique numerus obtigisset. Eandem enim eius esse rationem, quod unum ex infinitis vatum responsis, ac circa res numero infinitas editis, forte fortuna semel evenerit; et cetera.

XXI.

Quaeritur tandem, utrum viro prudenti, bono, atque pio, liceat uti huiusmodi sortibus poeticis, ita, ut inde rerum suarum eventum divinare atque agendi consilia capere velit? An licitum sit, sortibus poeticis uti? Verum haec quaestio non adeo difficilis explicatu videtur. Quod si enim nulla divinandi vis carminibus poetarum tribui potest, et, inter multa millia experimentorum, vix uno alteroque exemplo eventus respondet sortibus poeticis; temerarium foret, res suas dubio casui committere, aut eas incertas indefinitasque relinquere. Iam autem vir prudens temeritatem ad consilia sua non admittit, neque res suas huiusmodi vanitatibus metitur; sed ratione potissimum nititur, atque rerum momentis insistit. Recte ergo graviterque locutus est Cicero, *L. II de divinatione: Quando illa* (superstitiosa divinandi genera) *observans, quieto et libero animo esse poteris, ut ad rem gerendam* NON SVPERSTITIONEM HABEAS, SED RATIONEM, DVCEM? *Itane, si quis aliquid ex sua re atque ex suo sermone dixerit, et eius verbum aliquod apte ceciderit ad id, quod ages, aut cogitabis; ea res tibi aut timorem afferret, aut alacritatem?* Maxime vero pietatis et religionis nostrae vis prohibet, ne rerum nostrarum praesidia ab eiusmodi vana hominum paganorum divinatione arcessamus, et errores cum profana superstitione coniunctos sequamur, aut divinae provi-

dentiae veluti periculum temerario ausu faciamus. Et quanquam viro alioqui bono indifferens et in medio positum esse videatur, num velit aliquando explorare huius generis sortes, vel animi caussa, vel ut istius rei varietatem vanitatemque magis cognoscat; habet tamen, cur ipse sibi caveat, quo minus mens, praenoscendae fortunae cupida, ad inanem superstititionem amplectendam tandem dilabatur.

XXII.

Quaenam sortes sanctorum, et quae harum nomina alia?

Haec sunt, quae de στιχομαντεία afferre in praesens volui. Hac enim voce Graeca *sortes poeticas* designare malim, (et sic supra etiam, *n. IV et V*, exscribi debuit) quam voce στοιχειομαντεία, quae non nullis arridet, et proprie non nisi *divinationem ex elementis literarum* notat. Finem igitur nunc huic dissertationi imponerem, nisi de SORTIBVS SANCTORVM, quae cum POETICIS SORTIBVS haud exiguam habent cognationem, pauca adhuc differenda esse intelligerem. Eo breviori autem in hac re mihi esse licebit; quo maiori diligentia iam nonnulli idem argumentum pertractarunt. In his nominatim Henr. Linckius, Antecessor quondam de hac Academia bene meritissimus, iam A. C. CIↃ IↃC LXXXVI, peculiarem dissertationem *de sortibus sanctorum, sive Apostolorum, ex inspectione S. Bibliorum*, evulgavit. Nec pauca de SORTIBVS SACRI CODICIS observata deprehendimus, *in T. IV observationum Hallensium, observ. XIII.* Ita vero Carolus du Fresne, in Glossario Latino, T. III, p. 904, ex Hincmaro de divortio Lotharii, huius nominis testimonium affert: *Sunt et sortilegi, qui sub nomine fictae religionis, per quasdam, quas* SANCTORVM SORTES *vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt.* Dicebantur etiam a Petro Blesensi SORTES APOSTOLORVM et PROPHETARVM; quia utrorumque scripta divinandi caussa inspiciebantur. Et propter divinationem ex Evangeliis etiam SORTES EVANGELICAE audiebant. Pluribus vero laudatus Carolus du

Fresne

Fresne ostendit, speciatim illam divinationem, qua ex inspecto Evangelio futuram Episcopi recens electi vitam atque muneris administrationem praenoscere satagebant, PROGNOSTICON appellari consuevisse. Scilicet, quemadmodum in στιχομαντεία e versibus poetarum; ita in SORTIBVS SANCTORVM ex inspectis libris diviniorum literarum, de rebus propositis velut vaticinia capiebant.

XXIII.

In his vero sortibus sanctorum consulendis consulebatur CODEX DIVINVS, ita tamen, ut quandoque unum, quandoque plures libros ad tales divinationes usurparent. Omnium frequentissime volumen *Psalmorum* atque *Evangeliorum* auspicandi caussa evolutum esse deprehendimus. Gregorius Turonensis, *L. IV Histor. c. 16*, aliquot librorum sacrorum mentionem facit: *Positis Clerici tribus libris super altarium*, inquit, *id est*, PROPHETIAE, APOSTOLI, *atque* EVANGELIORVM, *oraverunt ad Dominum, ut Chramno quid eveniret, ostenderet; aut si ei felicitas succederet, aut certe, si regnare posset, divina potentia declararet: simulque unam habentes convenientiam, ut unusquisque in libro*, QVOD PRIMVM APERIEBAT, *hoc ad Missas etiam legeret. Aperto ergo primum omnium Prophetarum libro, reperiunt:* AVFERAM MACERIEM EIVS, et cetera. Idem Scriptor, *L. V*, adhuc alios libros Codicis sacri nominat: *Ego vero, reserato* SALOMONIS LIBRO, *versiculum, qui primus occurrit, arripui; qui haec continebat:* OCVLVM, QVI ADVERSVS ADSPEXIT PATREM. Et paullo post: *Posthaec, continuato triduo in ieiuniis vigiliisque atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accedens, revolvit* LIBRVM, *qui erat* REGVM; *versus autem primae paginae, quam reseravit, hic erat:* PRO EO, QVOD DERELIQVISTIS DOMINVM DEVM, et cetera. Imo, praeter divinum codicem, etiam *libros*, uti vocantur, *missales*, sortibus sanctorum inserviisse, ex iis cognosci potest, quae ex *Ionae vita S. Huberti, c. XV*, afferuntur.

Quinam libri in consulendis sortibus sanctorum adhibiti fuerint?

Vt

Vt voluntatem, inquit, *super negotio Domini nosse possent, ab eo totis nisibus poposcere. Ac tertio tandem ieiunii die instante, duos libros super altare deposuere; quorum unus* SACRATISSIMVM EVANGELII *retinebat textum; alter vero* BENEDICTIONES *atque* CONSECRATIONES, *quibus* MISSARVM *peragitur sacramentum: scilicet, ut a divinis libris addiscerent, quae sibi de his agenda forent. Reseratum autem Evangelium hanc primum legenti sententiam obtulit: ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum. Liber etiam sacramentorum in sui apertione hoc videnti obiecit: dirige viam famuli tui.*

XXIV.

Modus divinandi per sortes sanctorum.

Non uno eodemque modo hae etiam SORTES SANCTORVM consuli consueverunt. Vulgatissimus modus fuit, aperto sacro codice, ex verbis primo loco obviis, auspicium capere; quippe quod de voluntate DEI interpretabantur. Vti vero plerumque eum versum, qui primus in oculos incurrit, arripuerunt; ita ut plurimum *summitatem paginae*, aut primum paginae capitulum, respexisse videntur. Sic Matthaeus Parisiensis de Anselmo scripsit: *Inter sacrandum pro ritu Ecclesiae, codex Evangelii ab Episcopis super eum apertus tenebatur. Consecratione autem peracta, cum codex inspiceretur, in* PAGINAE SVMMITATE *haec sententia est reperta: Vocavit multos, et misit servum suum, et coeperunt omnes se excusare.* Aliud genus *sortium biblicarum* annotarunt Observat. Hallens. auctores ex Epistola Nicolai Papae ad Bulgaros, ubi Graeci codicem manibus clausum tenere dicuntur; unus ex iis, arrepta tenui particula ligni, hanc intra ipsum codicem condere, et, si undique aliqua vertitur ambiguitas, per hoc affirmare, se scire posse, quod cupiant. Verum etiam ex fortuito auditu sacrae alicuius sententiae, maxime si templum ingressi a sacerdote audirent recitari verba quaedam divina, sortes omenque captabant. Refert hoc Metaphrastes Graecus Martyrologii de Cypriano: *Quum ingrederetur Ecclesiam, bonum omen capiebat sui introitus, si*

tus, si verba, quae ibi praelegebantur, scopo suo convenientia inveniret. Ac dum intrabat Ecclesiam, praeter expectationem contigit, ut Diaconus haec Apostoli verba personaret: Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. *Quae omnia scopo suo quadrare iudicans, iam firmior ac perfectior animum ad fidem in Deum applicabat.*

XXV.

Quaenam ceremoniae solenniores in consulendis sortibus sanctorum usurpatae?

Quanquam *sortes Sanctorum* aliquando a privatis pro lubitu, sine aliis ceremoniis instituerentur; attamen, si res erat magni momenti, de qua consulebatur, aut si personae publicae atque sacrae in templis eas tractabant; accedebat solennitas quaedam ceremoniarum, quibus credulitas hominum veluti magis confirmaretur. Hinc enim antea *precibus, ieiuniis* atque *vigiliis operabantur;* uti paullo ante ex Gregorio Turonensi intelleximus. Hinc libros sacros *super altaria* collocabant; uti idem Scriptor, *in vita S. Consortiae Virginis* indicat: *Si vultis, pergamus ad Ecclesiam, agatur missa,* PONATVR EVANGELIVM SVPER ALTARE, *et, communi oratione praemissa, codice patefacto, inspiciamus domini voluntatem, ex illo capitulo, quod primum occurrerit.* Ponebant etiam sacros codices *super sepulcra Sanctorum.* Quod idem Gregorius, *L. V, histor. c. XIV,* de Merovaeo testatur, commemorans, *hunc tres libros* SVPER SANCTI MARTINI SEPVLCRVM POSVISSE, *idest, Psalterii, Regum et Evangeliorum, atque vigilantem tota nocte petiisse, ut sibi beatus confessor, quid eveniret, ostenderet, et utrum posset regnum capere, an non, ut, Domino indicante, cognosceret? Postea, continuato triduo in ieiuniis, vigiliis atque orationibus, ad beatum tumulum iterum accessisse, et revolvisse librum, qui erat Regum.* Adhaec codices sacros osculabantur: quod intelligo ex Guiberto, *L. II de vita sua,* a Carolo du Fresne citato: *Cum obviam mihi procedere pararent,* inquit, *textum E-*

vangelii ex industria super altare hac intentione aperuit, ut, quod capitulum oculis primum occurreret, pro mei auspicio haberet. Mox: *Aperuit ergo librum*, CVI IVXTA MOREM EXTRINSECVS LABRA DEPRESSERAM. Quis vero omnia superstitiosorum rituum genera persequatur?

XXVI.

Origo sortium Christianarum.

Quod ad *caussam et originem sortium Evangelicarum* spectat; nihil probabilius est, quam, eas poeticis paganorum sortibus suos natales debere. Etenim, cum homines antehac divinandi vanitate et religionum superstitione imbuti modo transiissent ad sacra Christianorum, audivissentque, quanta vis et auctoritas sit verbi Divini: facile fieri potuit, ut, quae est mens hominum ad divinandum pronissima, existimarent, ex hoc ipso fortasse multo rectius veriusque, quam e poetarum carminibus, (quae antehac maximi fecerant,) tum ea, quae ad animae salutem; cum cetera etiam, quae ad fortunam huius vitae moderandam pertinerent, quaeri cognoscique posse. Non enim solum, ubi generatim in rebus agendis dubii essent de voluntate DEI, hoc modo eius certiores fieri cupiebant; neque solum in eligendis episcopis, explorandisque eorum moribus atque fatis futuris, ad has sortes se referebant; cuius rei exempla haud pauca extant: sed etiam aliorum quorumcunque vitae negotiorum exitum inde sciscitabantur. Quod quanquam utrumque a superstitionis labe prope abest; censuit tamen Augustinus, (adeo scilicet non solum rudes inferiorisque sortis homines, sed ipsi etiam magni nominis Antistites huc devenerant) saltem in S. religionis negotiis has sortes non male consuli. In epistola enim XIX haec scripsit: *Hi vero, qui de paginis Evangelicis sortes legunt, etsi optandum est, ut hoc potius faciant, quam ut ad Daemonia consulenda concurrant; tamen etiam ista mihi displicet consuetudo, ad* NEGOTIA SAECVLARIA *et* AD

AD VITAE HVIVS VANITATEM, *propter aliam vitam loquentia oracula divina velle convertere.*

XXVII.

Hanc SORTIVM EVANGELICARVM nimiam abusionem cum animadverterent Sancta Patrum concilia, eas graviter improbarunt, reieceruntque. Multo studio variorum Conciliorum decreta hanc in rem collegit LINCKIVS, antea laudatus. Sufficit in praesens vel illud saltem afferre, quod *Concilium Venetum,* Anno Christi circiter CCCCLIII celebratum, decrevit. In ultimo enim Canone Patres ita statuerunt: *Ne fortasse id videatur omissum, quod maxime fidem catholicae religionis infestat, quod aliquanti Clerici student auguriis, et sub nomine confictae religionis, quas* SANCTORVM SORTES *vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcunque Scripturarum inspectione futura promittunt; in hoc quicunque Clericus detectus fuerit, vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.* Laudat etiam LINCKIVS inter alia *poenitentiale,* uti vocari solet, quod in Bibliotheca Norimbergensi existere, et, c. CLV, triplici potissimum de caussa has sortes prohibere, refert: *Primo, ne sub hac divinationis specie ad memoriam redeant homines cultus idololatriae. Deinde, quia in sortibus peragendis fraudes multae occurrant, ut facilius sit sortibus fraudes immiscere, quam divinam voluntatem orationibus impetrare. Denique, quia tantae non simus sanctitatis, ut nobis in sortibus voluntatem suam Deus aperiat.*

Damnatae sunt sortes Sanctorum a Conciliis Patrum.

XXVIII.

Reliquum asset, ut nunc ostenderem, *quousque hae* SORTES CHRISTIANORVM *vel approbari debeant, vel improbari?* Sed praeterquam, quod neque institutum meum quandam huius rei disquirendae necessitatem mihi imponat, temporis

An sortes Sanctorum sint probandae?

ris angustia exclusus prohibeor, quo minus ad hoc argumentum penitius excutiendum digrediar. Interim satis est, evidenter constare, DEVM suum nobis verbum patefecisse, non, ut inde vaticinia petamus, et providentiae divinae diffisi huius vitae fata exquiramus; sed ut vitae futurae et aeternae salutis consequendae rationem cognoscamus; id quod non per sortium modum, sed per legitimum sensus divini scrutinium, fieri debet. Quemadmodum vero Auctor Observationis XIII, *Observat. Hall. T. IV*, quem virum celeberr. Burcardum Goth. Struvium esse puto, *n. XXX*, recte damnat omnes sortes divinatrices, quibus DEVS tentatur; ita miramur, eundem tamen *n. XXIX*, optare, ut tales sortes cumprimis in iudicia iterum introducantur. Ait enim, *nos non male acturos, si in iudicia nostra tum civilia, tum criminalia, (ni tam essent corrupta) introduceremus sortis iudicium; ita enim melius decidi posse lites, quae pravorum iudicum advocatorumque nequitia saepius in infinitum protrahuntur.* Sed abrumpo nunc filum huius dissertationis, et in fine Io. Christophori Becmanni sententiae, quam *in Lineis doctrinae moralis, c. VIII, n. XI*, proposuit, lubens subscribo: *Cunctis hisce* (exemplis sortium christianarum) *casum praesumtionis et temeritatis adversus DEVM opponimus: ac si ab hominibus non malis usurpentur, nihilominus hasce notas non declinaturos opinamur. Si urgeant, non adhiberi instar sortis, sed instar selectioris regulae praesenti statui nostro congruae, partem excusabilitatis quidem habebunt; sed quidni eandem ex communi iure divino decerpunt? Cur sortione regulas captare malunt?* SECVRIVS ITAQVE OMNIBVS AEQVE ABSTINEMVS.

